

et qui fait partie du curieux et intéressant Recueil que nous avons décrit dans le présent volume<sup>1</sup> :

JOANNIS CASIMATIS<sup>2</sup> CRETENSIS.

Antiquæ Veneris nova Cypris et aurea fulget  
 alma Paphos, veteri tracta Cythera loco;  
 et nova de cælo Veneris demissa figura  
 spectatum venit quos habitura locos.  
 Verum ubi pallentes vidit, mea Græcia, vultus  
 et mutata tui signa coloris, ait :  
 « Crudeles anni quos velox attulit axis,  
 cœlesti cursu tam rapide irruitis?  
 Qui sedes rapuere meas? quo transtulit ipse  
 Jupiter? O fatum Græcia nacta malum! »  
 Sic ait, et fugiens retro vestigia vertit  
 et super Ausoniam sistere Diva parat.  
 Cujus tam apricis urbem cum vidit in oris :  
 hac sedem potero condere in arce novam,  
 quæ dilecta Paphos, quamvis non alta Cythera  
 nomina erunt, liceat fingere posse novum.  
 Hæc regni novitas multis dominabitur, inquit,  
 nomen et a Veneris sunt habitura novæ.  
 Namque ut primates olim sola ipsa Pelasgos  
 virtute erexi, cum fera bella tuli;  
 sic etiam Ausoniæ quorum sunt dulcia Musis  
 ingenia incipient ore ciere Deas.  
 Certabunt pariter, pariterque in prælia vires  
 cernere erit; refluant omnia carminibus.  
 Afflicti venient varia in certamina Graii,  
 Ilion ut quondam circumiere manu;  
 orabunt pacem offensis; sic Græcia numen,  
 sic colet Ausoniæ turba beata meum<sup>3</sup>.

1. Pages 177 et suivantes.

2. L'original donne, par suite d'une erreur typographique, *Casinatis*.

3. *Tempio alla divina signora donna Giovanna d'Aragona* (Venise, 1555, in-8°),  
 partie latine, pp. 54-55.

